Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3137
Quelle:
Copyright:

uenire merear &c. Alter Monachi; nam petit, ut in ipso perseveret *sacrorum ordinum dignitas et sacramentorum uirtus et sancte unctionis et monastice consecrationis operatio* &c. *Fol.* 28. p. 2. *Cursus omnium operum domini*, id est, mysteriorum vitae Christi. *Cursus* hi constant Particulis Psalmorum, quae Orationibus interstinguuntur. *Fol.* 53. Orationes complures de Passione et Cruce Domini. In his multae rursus ex ore Feminae, uti et deinceps. *Fol.* 108. Preces *ad communionem corporis domini. Fol.* 117. p. 2. *Incipit psalterium beate et gloriose semper virginis Marie.* Rhythmis conceptum, quibus immiscentur per intervalla Salutationes Angelicae. *Fol.* 133. p. 2. *Augustini episcopi oratio ad sanctissimam mariam*, quae incipit: *Singularis meriti sola sine exemplo mater et uirgo* &c. *Fol.* 143. p. 2. *Letania de S. Maria*, cum pluribus aliis ad eam precibus, quas inter Oratio ad eam simul et *Johannem Ev.* directa. *Fol.* 167. p. 2. *Litania pro in finem*, id est, pro felici obitu. *Fol.* 171. p. 2. *Cursus pro defunctis*, adjunctis *Psalmis* pro iisdem. *Fol.* 181. *Cursus s. trinitatis quem docuit S. Johannes bapt. quendam heremitam.* Adhaerent Orationes ad S. *michahelem*, *proprium angelum*, *Johannem Bapt.* et *Apost.* in qua postrema deficit *Codex*, quem in usum Sanctimonialium cujusdam Parthenonis, et fortassis a Sorore quadam Calligrapha, descriptum autumo. *Cursus* et *Litaniae* in eo contentae multum differunt ab iis, quae tardius invaluere, et ipse spiritus, tenorque Precum talis est, ut eas multis temporum lapsu subnatis praehabeas. Sunt tamen et inscita quaedam, ut *fol.* 177. p. 2. ubi rogatur S. Trinitas, velit memor esse *omnium miseriarum suarum*, *quas unquam in ueteri et in nouo peregit testamento*; nisi fortasse legendum sit *mysteriorum suorum.*

DCCCXCVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 127. 4. charactere grandi, elegantique exaratus, literis omnium initiorum colore auroque depictis *Precationes* varias complectitur, quas ordine indicabimus. Praeit Formula *Confessionis* Deo faciendae hoc initio: *Confiteor tibi domine pater celi et terre coram sancto altari tuo et huius loci reliquiis omnia peccata mea* &c. Dein: *Incipit Psalterium Beati Jeronimi.* Sunt Psalmi sequentes: V. LXXXVII. XXVII. XXXIII. L. LIII. LXIII. LVI. LXIX. LXXXVII. CI. CXVIII. CXXIX. et CXLII. sed initiis tantum delibatis, mixtisque mox versiculis aliunde depromtis, unde etiam subjuncta *Oratio* ita incipit: *Suscipere et exaudire digneris hos uersiculos congregatos* &c. Simile Commentum jam *Cod.* CCCVI. occurrit. Succedit longa ad Deum *Precatio* rhythmica, immixtis auro liquidissimo scriptis sed corruptis 684